

perspicuum est; si quid maxime expediat, obscurum: sin hi sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumque sit, non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam caussam conjunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum, cum optime sentiremus, error fuit. Nam omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt: qua cum ipsi Caesari nihil esset utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace, arbitrabamur; quantum nos fefellerit, et quem in locum res deducta sit, vides. Neque solum ea perspicis, quae geruntur, quaeque jam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quae fiunt; aut interesse, etiamsi non probes: quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem, in quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quae loca sequamur. Omnino cum miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior: nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias: ut si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris: sin autem est, quod mecum communicare velis, ego te exspectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quamprimum velim venias, sicut intellexi et Servio et Postumiae placere. Vale.

VIII. CICERO ATTICO S.

O rem turpem, et ea re miseram! Sic enim sentio, id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Caesarem, eundem repente timere coeperat: conditionem pacis nullam probarat; nihil ad bellum pararat; urbem reliquerat; Picenum amiserat culpa; in Apuliam se compegerat: ibat in Graeciam; omnes nos ἀπροσφωνήτους,